

domini Millesimo Quadringentesimo primo prima⁵ die mensis februarij: hora primarum / in uestibulo ecclesie Curiensis ubi ad reddendam iusticiam pro tribunali consueuimus presidere, iudicij in figura: partes suprascripte, vnâ cum honorabilibus in Christo, domino Ruodolffo² de Trostberg decano, Volrico¹ Haiden scolastico / Johanne Anhûsz canonicis dicte curiensi ecclesie, ac Johanne Tumb armigero: arbitris, arbitratoribus et amicabilibus compositoribus, a dictis partibus per uiam compromissi, sollempni coram nobis stipulacione, et fidei dacione vallati / in et super pretacta causa: communiter electis et assumptis, Posueruntque prelibati arbitri arbitratores et amicabilem compositores, dictis partibus principalibus uidelicet parte actore, ac Ruodolffo² de Roschach, pro se et pro sua uxore / legitima predicta, coram nobis astantibus, et idipsum de iure et de facto omologantibus⁶, eisdem iam dictas partes principales, super huiusmodi questione impetitione et controuersiis et litibus atque causis, ad vnionis pacem, per ipsorum laudum⁷ arbitramentum / et amicabilem compositionem et arbitrium, per uiam iuris, ac per subscriptum modum, et pronunciacionis formam, de speciali mandato auxilio et de expresso consilio, reuerendi in Christo patris, domini Hartmann⁸ Episcopi Curiensis, concorditer / reduxisse.

Inprimis uidelicet: quod dictum Monasterium fabariense, nunc et in antea iure proprietatis et titulo perpetue possessionis, habere debet et tenere domum et totum solamen, cum orto pomerio torculari et horreo, insimul / contiguatis et conclusis intra moros ciuitatis curiensi sitam: et muro speciali circumseptis, ab vno latere eisdem ciuitatis muris, et ab alio latere domui et horreo Johannis Ringg⁹ armigeri, et a tercio latere publicê stratê / confinantem.

Insuper et vineam cum pomerio, extra dictos muros ciuitatis curiensi situatam, a parte superiori vinee domini episcopi Curiensis: Ab alio latere vinee Burkardi de schowenstain armigeri, a tercio vero latere fossato et muro / ciuitatis Curiensis contiguantem, que iam specificata bona, bona de plantair¹⁰ nuncupata existunt

Jtem tria jugera agrorum¹¹ sita in Giraetsche¹², vno a latere agro altaris sancte crucis, in ecclesia curiensi situati, confinancia.